



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De  
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

**Paulus <Bernriedensis>**

**Ingolstadii, 1610**

Coniectura De Avctore Svpradicti Synodalis Sermonis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)

tionem quoque eidem necessitati competentes, bene saltem sciat legere.

LXXI. Similiter ordinem & preces in exequiis agendis defunctorum.

LXXII. Similiter exorcismos & benedictiones salis & aqua memoriter teneat.

LXXIII. Cantum diurnum & nocturnum nouerit.

LXXIV. Computum minorem, id est, epactas concurrentes regulares, terminum Paschalem & reliquos sapiat, si est possibile.

LXXV. Martyrologium & pœnitentiale habeat, & cetera.

Volumus autem fratres charissimi, quatenus qua nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibus adimplere: prestante Domino nostro IESU Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto uiuit & regnat DEVS per omnia secula seculorum, Amen.



## CONIECTURA DE AVCTORE SVPRADICTI SYNO DALIS SERMONIS.

**V**M Codex Neresheimi in Augustana diocesi, Anno Christi M. IX. hoc est, trigesimo sexto post mortem S. Vdalrici scriptus sit, verisimile sit, Synodales has constitutiones à S. Vdalrico fluere, quas sequentes deinde Episcopi, quod inscriptio innuit, sæpius repetere & proponere consueuerint.

S. Vdalricus  
Episcopus, Au-  
gustanum esse  
prædicti ser-  
monis Aucto-  
rem.

Primum verò earum auctorem S. Vdalricum esse, magnopere confirmat locus vetusti scriptoris in vita

A a cap. 6.

cap. 6. In quibusdam autem diebus Capitula Clericis habere disposuit, in his locis ubi hac aptissime fieri archipresbyteri putauerunt, & ubi eum ab aliis mundanis conciliis absolutiorem esse arbitrabantur. Congregatis ante se Clericis, archipresbyteros & decanos, & optimos quos inter eos inuenire potuit, cautè interrogauit, qualiter quotidianum DEI seruitium ab eis impleretur, & qualiter populus illis subiectus, ex eis regeretur in studio pradicandi, docendiq;, quantaq; cautela infantes baptizarentur, infirmi visitarentur, & ungerentur, defunctorum etiam corpora quanta compassione sepulturis traderentur, qualiter de decimis & oblationibus fidelium pauperes recrearentur, viduis & orphanis in uniuersis necessitatibus subuenirent, quantoq; studio in hospitibus & aduenis Christo ministrarent: si subintroductas mulieres secum habuissent, & inde crimen suspicionis inciderent; si cum canibus & accipitribus venationes sequerentur; si tabernas causa edendi vel bibendi ingrederentur; si turpes iocos in usu haberent, si ebrietates, & comestiones supra modum amarent, si rixis & contentionibus & emulationibus deseruirent, si nuptiis secularibus interessent, vel si aliqui eorum ministeria indecentia in consuetudine haberent, si per Kalendas more antecessorum suorum ad loca statuta conuenirent, ibiq; solitas orationes explerent, suasq; Ecclesias ad tempus reuiserent, si obedientiam eorum magistris prabuissent, & in toto suo ministerio deuoti & apti manere studuissent. Cum pleræque harum interrogationum Constitutionibus respondeant, tempus præterea locusque conueniant, profectò nihil vetat vni eidem S. Vdalrico constitutiones & interrogationes tribuere.